



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Margarita Evangelica

Essche, Nicolas van

Coloniae, 1545

Vt nos diuinæ operationi resignemus. 45

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49323](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49323)

MARGARITAE EVANG.

patris, hanc ad cœlestē patrem attentionem habebimus, vt rogemus eū, quatenus paterna virtute sua nos corroborare, & opē nobis ferre velit. Cum vero manum dimittimus, dicendo: Et fili, quatenus paterni cordis sui verbo animas nostras implere, illuminare ac instruere dignetur. Cum vero in transversum manum dirigimus, dicendo: Et spiritus sancti, mēte desiderabimus, vt nos amabili bonitate ac gratia sua protegere, & spiritu sancto inflammare dignetur. Amē, id est, fiat. Et tunc cum omni reuerentia & honoris exhibitione, sub omnipotenti & superdignissimo Deo inclinare ac incuruare debemus nos ipsos, rogando eum mentaliter, vt nos in paternis manibus suis custodire, & in eo nos amor captiuos atq; constrictos tenere velit, qui amabilem humanitatem suam in manibus Iudæorum captam & ad columnam & crucē ligatā seruabat, ne vlla ratione extra diuinā præsentiā suam & amorosam sanctissimā humanitatis suę imaginem declinemus, neve præcepta Dei vel superiorum nostrorū transgrediamur, sed semper in eius præsentiā maneamus, vnus spūs cū voluntate ipsius, vna aīa cū desiderio suo, & vnū corpus cū intentione sua fieri desiderantes: vt que simul nobiscum, & per nos omnem diuinum cultum laudesq; diuinas, & omnia obedientiæ opera persoluere, ac perficere velit, quippe qui sine ipso nihil possumus, nihil præualemus.

Qualiter nos Deo resignare debeamus, vt ipse in nobis operetur. Cap. XLIII.

**I**AM vero vt Deus omnipotens in nobis & per nos ambulare, & omnia virtutum opera operari

## LIBER II.

operari & pati dignetur, sicut per vnicū filium suum dominum nostrum Iesum Christum fecit & passus est, eo quo iam dictum est modo, tota die vestiri ac dispositi esse debemus, & diligentissime diuinas inspirationes & cordis inclinationes obseruare, & in omnibus quæ vel facimus, vel dimittimus, Deum pure quærere, eiusque in cunctis honorem intendere ac amare, intus quoque & exterius venerandam vitam ac passionem illius imitari, eique in omni conuersatione nostra nos conformare: quippe cum ad hoc tendere debeat omne studium nostrum, vt ei in intimo in interiori & in exteriori homine nostro per continuam sanctissimæ vitæ ac passionis suæ exercitationem conformari valeamus. Diligenter itaque ad omnes horas attendamus, qualiter ipse in singulis sese habuerit: Verbi gratia, ad matutinas, primam, tertiam, sextam & nonā: quot videlicet anxios timores atque terrores, poenas, confusiones, opprobria, irrisiones, impropria, quassationes & vulnera istis horis sustinuerit, quanque ignominiosam atque crudelem mortem nostri causa perpeffus sit; & quam amorosum, humilem, mansuetum, patientem, benignū, suauem, pacificum & amabilem in omnibus pro nostri redemptione sese exhibuerit. E contra vero nostram dissimilitudinem atque defectus persemus, considerando videlicet quod tam in amore frigidi sumus, tam parum ferre valemus, tam facile turbamur, & pacem amittimus, tam amari in corde, mente tumidi, verbis læsi ac pungitiui sumus, quod tam parati nos ipsos excusare, et de modicis iniurijs vindictam sumere cupimus. Quos omnes, hisque similes infinitos alios defe-

T v ctus

MARGARITAE EVANG.

eius nostros & vulnera animarum nostrarum  
 coelesti medico, & animarum nostrarum magi-  
 stro sapius ostendere debemus, rogando ipsum,  
 quatenus earundem animarum nostrarum vulnera  
 sanare, & omnes inde defectus euellere, cunctis-  
 que virtutibus eas, vera videlicet charitate, pati-  
 entia et profunda humilitate exornare dignetur:  
 donetque nobis suauiter, pacifice ac amore cum  
 omnibus hominibus conuersari, omnes inimi-  
 cos nostros mansuetudine vincere, et patienter om-  
 nia aduersa sustinere: ut sic cum Christo Iesu  
 in cruce cum gaudio spiritus, pace animae, dulce-  
 dine cordis, & corporis patientia distendi mereamur.  
 Etenim tria haec cordibus nostris iugiter im-  
 pressa sunt seruanda. ¶ Per talem namque exerci-  
 tationem ad Christi Iesu conformitatem pertingi-  
 tur. Ideoque cunctis haec exercitijs quantumlibet  
 ea sublimia ac magna esse videantur, praefere,  
 istisque inhaerere debemus: dimittere quoque  
 omnem inuestigationem intellectus per curiosam  
 speculationem, & diuersarum scripturarum per-  
 scrutationem: quae nimirum hominem a simpli-  
 ci veritatis fundo in multiplici-  
 tatem abducunt. Huic itaque fundamento innitamur, & quicquid  
 super isto a domino nobis concessum fuerit, se-  
 cure pro veritate, cum profunda tamen humilitate  
 acceptare possumus. Quicquid autem huic  
 conferre potest, adiungere debemus. Est namque  
 istud verum fundamentum, ex quo omnia alia ex-  
 ercitia oriuntur, in quo etiam sustentantur et con-  
 seruantur.

Qualiter anima deuota semper in cruce & in